

De hiberis ex sponda nales  
epusc. duo.  
Evanhart. n. Binom. am.









*Pr. 27: num. 18. P. 239*

*18,*

*7*

DE  
**LIBERIS**  
EX  
**SPONSA NATIS**


OPUSCULA DVO

OB RARITATEM  
IAM ITERVM EXCVSA.

*P. 401*



*He 3324*



HALAE MAGDEBVRGICAE,  
APVD IOANNIS CHRISTIANI HENDELIÏ VIDVAM  
MDCC LXVI.

(5)

*17. 3. 06.*

*17. 3. 06.*



LIBRIS  
SPONSORATIS  
DE VINCULA DVO



I.

D. IO. FRID. EISENHART

IN AVLA BRVNSVICENSI CONSILIARII  
ET IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA  
ANTECESSORIS

OPVSCVLVM

DE

NATO EX SPONSA.



D. JO. FRID. EISENHART  
IN AULA PRINCEPSVIGENSIS CONSULTABILI  
ET IN ACADEMIA PAULI CAROLINI  
ARTIBUSQUE  
OCTAVI  
DE  
NATO EX SPONSA







DE  
NATO EX SPONSA.

---

S V M M A R I A.

- Germani castitatis Taciti tempore studiosi. §. I.*  
*Consuetudo cum Romanis eorum mores corrumpit. §. II.*  
*Requisita matrimonii secundum ius civile Romanum. §. III.*  
*Natus ex Sponsa secundum ius Roman. pro partu legitimo habetur. §. IIII.*  
*Introduc̄ta benedictione sacerdotali aliud dicendum videtur. §. V.*  
*Mira Dd. dubitatio, an natus ex Sponsa pro partu legitimo sit habendus. §. VI.*  
*Cautelae, quas ideo suppeditant. §. VII.*  
*Benedictionem Sacerdotalem ad legitimae natiuitatis formam non pertinere ostenditur. §. VIII.*  
*Adeoq̄ue natus ex Sponsa pro legitimo partu habendus est. §. VIII.*  
*Quod etiam confirmat ius Canonicum §. X. nec non ius Saxon. ac communis Dd. opinio. §. XI.*  
*Natus ex Sponsa iure filiationis gaudet. §. XII.*  
*Succedit in feudo. §. XIII.*  
*Requiritur tam̄en vt a sponso agnitus fuerit. §. XIII.*



## §. I.



Aepius me, in historiarum monumentis diuersarum gentium fata atque vicissitudines perlustrantem, animaduertisse memini, eas, quo moratiores atque politiores factae sunt, eierato rudi vitae genere, eo magis quoque variis imbutas fuisse vitiis, quae antea ignorabant. Praebet exemplum huius rei Germania nostra. Maiores nostros, quos superba illa Graeciae imitatrix, Roma barbarorum nomine insigniuit, diuersarum virtutum causa, quarum non minima fuit castitatis laus, antiquitas extulit, ipsis Romanarum rerum scriptoribus testibus. Miris certe laudibus veterum Germanorum castitatem celebrant TACITVS *de M. G. c. XVII.* & IULIVS CAESAR *de B. G. L. VI. c. 15.* quorum ille, solos barbaros singulis vxoribus contentos viuere refert, hic autem intra vicissimum annum foeminae notitiam habuisse, in turpissimis rebus ab iis haberi, tradit. Incognitae fuerunt, genti simplicitate prisca adhuc ornatae, tot tantaeque amorum illecebrae, amatoriae litterae, puellarum innocentium mentes corrumpendi artes, aliaeue fraudes, quas recentior aetas faeculi moribus annumerat. Sed fera fuit apud Germanos veteres iuuenum venus, seuera matrimonia, nec virgines festinabantur, eadem iuuenta, similis proceritas, pares validique miscebantur, ac robora parentum liberi referebant. Inde eueniebat vt ob inexhaustam pubertatem Germania olim vagina gentium dicta fuerit, vid. CLYVERVS *in German. antiq.* Ex hac autem vitae simplicitate facile intelligi potest,



potest, ab omni intempestiuo concubitu maiores nostros abstinuisse, sed integram inuiolatamque in manus mariti sponsam venisse & torum conscendisse, atque ita Diis nuptialibus coronam istam, qua ornatae incesserant sponsae, quasi quae ad nuptias vsque libidinum superato impetu pulcherrimam retulerint victoriam castitatisque laudem integram seruarint, dedicasse.

§ II.

Vtinam eadem de posteritate dici possent, quae VIRGILIUS *Aen. L. III. v. 409.* habet:

*Hac casti maneant in religione nepotes.*

Sed eheu! recessit ab ista laudabili vitae simplicitate recentior aetas & quicquid de insigni maiorum nostrorum castitate iactant veteres rerum germanicarum scriptores, id omne hodie fabulae instar habetur. Enimuero quo frequentior ab Augusti temporibus maioribus nostris cum Romanis consuetudo intercessit; eo magis quoque gliscere coeperunt stupra, adulteria, foedae libidines genti barbarae olim incognitae. Violare matrimonii leges non amplius turpe habetur. Anticipare concubitum peccatillis annumeratur. Quae cum ita sint, nemini mirum videri debet, si ex eo tempore, ex quo mores gentis nostrae corruptionem passi sunt, tot tantaeque lites ortae ac quaestiones morae sint, quibus praegustata talami gaudia, infecutumque voluptatis cognitae fastidium, ansam praebuerunt, quas inter non vltimum sibi locum vindicat quaestio: partus, ante matrimonium benedictione sacerdotali consummatum, ex sponsa editus, an legitimus sit? Non indignum mihi visum est, hoc argumentum quod ex instituto inuestigare, cum theologos inter & iureconsultos magnae de hac re saepius agitatae sint controversiae,



uerſae, cum tamen vbi de ſucceſſionis iure agitur, omnis rei decifio de hac quaefiione pendeat, an ex ſponſa natus, legitimorum natalium effectus ſibi vindicare poſſit?

### §. III.

Quibus igitur praemiſſis, iam vera matrimonii requiſita examinanda ſunt, quorum alia ius ciuile, alia ius canonicum ſtatuit. Secundum ius ciuile matrimonium ſolo niti- tur perſonarum illud contrahentium conſenſu, eorum quo- rum intereſt conſenſu pariter confirmato. Teſtatur id VL- PIANVS L. 30. de R. I. vbi non concubitum, ſed conſenſum nuptias facere, dicit. Conſentit cum eo MODESTINVS L. 24. D. de R. N. in liberae mulieris conſuetudine non concu- binatum, ſed nuptias allegandas eſſe, affirmans. Pluribus haec declarat conſtitutio THEODOSII & VALENTINIANI Auguſtorum L. 22. C. de nupt. vbi haec leguntur: *Si donatio ante nuptias, vel dotis inſtrumenta defuerint, pompa etiam aliaque nuptiarum celebritas omittatur; nullus exiſtinet ob id deeſſe recte alias inito matrimonio firmitatem vel ex eo natis liberis iura poſſe legitimorum auferri, inter pares honeſtate perſonas nulla lege impediante conſortium, quod ipſorum con- ſenſu atque amicorum fide firmatur.* Inprimis autem IVS RI- NIANVS L. 11. C. de natural. liber. ſanxit: vt in quaefiioni- bus, in quibus de ſtatu liberorum eſt dubitatio, non conce- ptionis ſed partus tempus inſpiciatur, ſcilicet vtrum poſt conſenſum in matrimonium ſecutus ſit, qui ad legitimos de- monſtrandos natales imperatori ſufficere viſus eſt.

### §. IV.

Ex his ſequitur, vt ex mente iuris ciuilis natus ex ſponſa pro legitimo partu habendus ſit, licet ob mortem al-  
terutrius



terutrius desponsatorum matrimonii consummatio non se-  
cuta fuerit. Adeoque porro dos deque dote actio mulie-  
ri competat, si post consensum adhibitum, maritus subita  
morte, antequam vxorem cognosceret, moriatur *L. 6. 7. D.  
de R. N.* Legatum porro alicui relictum, sub conditione,  
*si nuptias contraxerit*, post consensum deberi, quamuis mu-  
lier nondum in cubiculum mariti venerit. *L. 15. D. de con-  
dit. & demonstrat.* Immo praemiis quae maritis lege tribu-  
ta sunt, iam inde vt consensus intercessit, coniuges potiri &  
retro poenas caelibatus propositas, ex hac quoque ratione  
cessare, quisque intelligit. Omittam alia iura, quae hic con-  
sensus post se trahit. Satis enim ex his, quae dicta sunt,  
apparet, vnde aestimetur secundum ius ciuile matrimonium  
& a quo tempore computari debeat, nempe ex solo con-  
sensu solaque animi destinatione.

§. V.

Quodsi igitur secundum ius ciuile quaestio, an natus  
ex sponsa editus, pro legitimo partu habendus sit? deci-  
denda esset, non opus esset, vt illi longius immorarer,  
quia dubio caret, & nihil superest quam vt is, de cuius  
legitimis natalibus disceptatur, consensum adfuisse, seque  
a defuncto patre pro filio agnitum fuisse, prober. Sed  
aliam iureconsulti amplexi sunt sententiam, postquam be-  
nedictio sacerdotalis inualuit. Ex hoc enim tempore, ex  
quo illa, tanquam ritus laudabilis, in ecclesia recepta est,  
viri eruditi in diuersas abierunt sententias, quorum alii ad  
essentiam matrimonii eam retulerunt, alii ad solam hone-  
statem hunc ritum pertinere iudicarunt, alii vero eam nec  
naturae nec ciuili iure necessariam esse statuerunt, quam  
sententiam plurimi theologi ac iureconsulti tuentur, quo-  
rum

B

rum



rum diuerſas opiniones recenſet B. BOEHMERVS in *Iur. eccl. proteſt. L. III. t. III. ſ. 39. ſeq.*

§. VI.

Quamuis vero, vt multi agnouerunt, in arbitrio ſummi legiſlatoris ſit, formam matrimonio contrahendo praefcribere, vel in eccleſia publica lege receptam confirmare; tamen ſequitur vt haec benedictio ſacerdotalis, vbi ſemel approbata & introducta eſt, nullo modo omitti poſſit, quia etiam illa quae ad formam externam negotiorum pertinent & ad eorum perfectionem requiruntur, priuatae ſortis hominum arbitrio immutari nequeunt. Ex his porro colligunt, nullum eſſe matrimonium dicendum, quod hac ſolennitate deſtitutum ſit, ſed licet cohabitatio ſecuta ſit conſenſum; nihilominus tamen illud mediante copula ſacerdotali confirmandum eſſe. Hinc concludunt, liberos ex deſponſatis natos non eſſe legitimos, ſi vel maxime mors ſponſi interuenerit, vt benedictio ſacerdotalis minus accedere poterit, vid. laudatus BOEHMERVS *loc. citat. ſ. L.* Argumenta quibus ſententiam ſuam ſtabilire nituntur, eo redeunt; vt omnia negotia primario aeſtimanda ſint ex iure patriae proprio, & legibus prouincialibus, quae benedictionem hodie pro forma matrimonii deſiderant, non amplius ex ſolo iure ciuili, quin potius vti iure ciuili matrimonium non rite initum, nullos habeat effectus; ita etiam hodie de matrimoniis non rite initis idem ſtatuendum ſit. Omittam alias rationes quas adferre ſolent, qui de iure connubiorum ſcripſerunt, vid. HAVEMANNVS *de iure connubiorum Lib. II. t. XI. pag. 4. num. 3.* & quibus aſſerere ſolent, deſponſatos quidem per concubitum edidiſſe conſenſum matrimonialem, ſed hanc declarationem  
inor-

inordinatam legibus publicis contrariam & illegitimam esse.

§. VII.

Quae cum ita se habeant, varias excogitarunt caute-  
las, quo natis ex sponsa subueniri possit. Hinc consili-  
um suppeditare solent Doctores, ut si sponsalia concubi-  
tu consummata sint, desponsati eo curent, ut mature &  
antequam mors interueniat, benedictionem sacerdotalem  
adhibeant. Consilium sane haut negligendum, si modo  
hominum vitae rationes semper ita comparatae essent, ut  
exequi possit. Quid quaeso faciendum, si sponsus adeo  
iam in ultimo mortis conflictu versetur, ubi non amplius  
mentis suae compos est, si anima non amplius rebus hu-  
manis adhaeret, sed toto animo de feliciore vita cogitat,  
anne consilii est, in hoc animae statu, tale suscipere nego-  
tium & moribundum excitare, ut ad matrimonium con-  
summandum & prolem procreandam cogitationes conuer-  
tat? Alii suadent, & non sine ratione, ut sponsa imprae-  
gnata mortuo sponso, principem statim adeat petatque  
ut sua auctoritate defectum sollemnis declarationis supple-  
at, & sponsalia per concubitum confirmata per viam gra-  
tiae pro legitimo declaret matrimonio BOEHMER. *loc. cit.*  
Non reprobo utrumque consilium, sed non nocere ar-  
bitror, si vnum alterumue omissum sit, ita, ut nihilo-  
minus natus ex sponsa iuribus legitimorum liberorum  
gaudeat, atque successio in bonis defuncti patris ipsi com-  
petat.

§. VIII.

Quod igitur ad meam sententiam attinet, non qui-  
dem



dem illis assentiri possum, qui dicunt, hodie quoque solum consensum facere nuptias, solo affectu matrimonia contrahi, sponsam iam esse vxorem, concubitu iam consensum matrimonialem esse declaratum, sponsalia esse verum & indissolubile matrimonium & denique non pertinere ad veram matrimonii substantiam, quae omnia licet secundum ius civile, si ex eo res decidenda esset, vera sint; tantum tamen abest, ut huic opinioni subscribam, ut potius ratione desponsatorum effectus matrimonii civiles prorsus negem, quia, ubi semel benedictio sacerdotalis cum aliis sollempnitatibus non est sublata, sed per constitutiones principum desideratur, illa nullo modo omitti potest, hinc nullum matrimonium statuendum est, licet mors sponsaliorum implemento impedimento fuerit. Sed quid dicendum de nato ex sponsa? ane etiam ad effectus legitimae natiuitatis benedictio sacerdotalis requiritur? hoc est de quo merito dubito. Neque enim ex iure naturali neque ex humano probatum est, ad legitimos natales pertinere benedictionem sacerdotalem. Non enim infanti ex anticipato concubitu nato culpa parentum imputari potest, immo potius considerandum esse duco, casum solummodo ei impedimento fuisse, quo minus ex matrimonio per benedictionem sacerdotalem consummato nasci potuerit. Dicit itaque potest quod reuera ex marito & vxore natus sit. Sponsa quoque, licet non in omnibus, in multis tamen instar vxoris habetur, quoties non de odio, sed de fauore alterius agitur *L. 5. C. de bon. quae liber.* quod inprimis de fauore innocentium liberorum intelligendum est; ut pro legitimis haberi queant. Accedit ad hoc, quod secundum priscos Germanorum mores, nati ex sponsa, nunquam spuris aut illegitimis liberis annumerati





rati sint, vt clare ostendit HEINECCIUS *in iur. German. L.*  
*I. §. 156.*

§. IX.

Si vltius progredi mihi licet, atque nodum hunc  
soluere, dici quoque potest, per benedictionem sacerdo-  
talem nuptias non contrahi, sed iam contractas publice &  
coram facie ecclesiae reiterari, quae quum hodie requira-  
tur ex legibus ecclesiasticis tanquam publicum testimoni-  
um consummati matrimonii, non tamen vt de eius essen-  
tia sit, sequitur, vt ea omiffa liberi pro illegitimis non ha-  
bendi sint, licet parentes merito puniantur ob violatam ec-  
clesiae legem, id quod etiam recte praecepit *ordinat. ec-  
clesiast. Guelpberbyt. p. 275.* Parentes enim semper faculta-  
tem consummandi matrimonium post sponsalia recte inita  
per copulam sacerdotalem habuerunt, neque eam contem-  
pisse neque neglexisse ideo dicendi sunt, quia concubitus  
anticiparunt.

§. X.

Dixi §. VIII. nondum probatum esse sacerdotalem  
benedictionem ad legitimos natales requiri. Quod tamdiu  
certum erit, quamdiu nulla lex adduci potest, ex qua con-  
trarium appareat. Confirmat meam sententiam ius cano-  
nicum, ex cuius mente natus ex sponsa pro legitimo par-  
tu declarandus est, ceu apparet, ex *c. 12. X. qui fil. sint le-  
git.* vbi quis ex muliere, quam secundum opinionem ma-  
ioris partis vicinia in concubinam habebat, prole susce-  
pta & processu temporis in praesentia multorum firmavit,  
quod eam quam habere visus fuerat concubinam, prius  
declarauerat vxorem quam ex ea filium genuisset, postea  
B a que



que illum in testamento suo cum ageret in extremis, haeredem instituit & filium appellavit. Querebatur igitur, an filius sic susceptus legitimus esset haeres & ad eius patrimonium admittendus? respondebat autem INNOCENTIVS III. Pont. Rom. cum pro legitimo habendum esse filio, inquit: *quia tamen desponsatio per testes legitimos comprobata, eos matrimonialiter fuisse coniunctos ostendit: siue desponsatio ipsa fuerit de praesenti, ut per consensum legitimum per verba de praesenti expressum, copula matrimonii inter eos fuerit celebrata: siue per verba de futuro carnali copula subsequuta: non tam decretali dicti praecessoris nostri quae in casu dissimili loquitur, quam inductis probationibus innitentes, te processisse legitime respondemus, sententiam tuam auctoritate apostolica confirmantes.*

### §. XI.

Consentint quoque iura Saxoniae, quae natum ex sponsa pro partu legitimo habent. Ita in Saxonia per dec. nou. XLIX. sancitum est: Daß die vor der Trauung erzeugte Kinder, als eheliche und rechte Erben zu der Eltern Erbe und Verlassenschaft auf begebende Fälle zugelassen, die Eltern aber nichts destoweniger wegen ihrer Begünstigung bestrafet werden sollen. Immo haec sententia a plerisque Iureconsultis hodie defenditur, cuius causa non poenitebit rationes Iureconsultorum Francofurtensium ex actis ab amico mihi nuper communicatis, huc transferre, quae sequentes sunt: Hiernächst Klägerin sich mit dem verstorbenen H. J. K. öffentlich verlobt gehabt und die Ehe würcklich würde vollzogen seyn, wann dessen Bruder nicht ein und andere Hinderniß gemachet hätte, und bekanten Rechtens ist, quod in fauorabilibus, qualis successio.



cessionis materia est, sponsa vxoris nomine veniat. BRVN-  
 NEMANN. *ad L. 5. C. de bon. quae liber. num. 4.* Nächst  
 diesem nichts hindert, daß die Ehe wegen erfolgtem Able-  
 ben des Bräutigams durch priesterliche Trauung nicht voll-  
 zogen werden können, gestalten schon genug ist, quod  
 sponsalia inter has personas fuerint contracta, und zu die-  
 sem der Bey Schlaf gekommen ist, quo ipso consensus ma-  
 trimonialis, quamuis occulto editus erat, auch die Auf-  
 bietung und Copulation derer Ehegatten ex ordinatione  
 aliqua humana hinzugerhan, folglich nach göttlichen Rech-  
 ten die eheliche Beywohnung auch ohne dieselbe beständig  
 ist. PHILIPPI *ad decis. Saxon. nouiss. 49. obseru. 44. num. 4.*  
 MEVIVS *P. II. d. 81. num. 2.* de BERGER *in oeconom. iur.*  
*Lib. 1. t. 3. f. 8.* BOEHMER *in iur. ecclesiast. Lib. 4. t. 3. f.*  
*45.* woran in gegenwärtigen Fall um desto weniger zu zwei-  
 feln, da das Hochfürstliche Consistorium dieses selbst er-  
 kannt, und deswegen N. Act. 33. anbefohlen der Klägerin  
 den Kirchgang zu verstatten, gleichergestalt aus angeführ-  
 tem Fundament die vor der Trauung erzeugte Kinder als  
 eheliche und rechte Erben der Eltern Erb- und Verlassen-  
 schaft zu lassen, und pro liberis legitimis zu achten, wo-  
 mit die Meinung der bewährtesten Rechtslehrer überein-  
 kommt und von selbigen mit Praejudiciis bestärcket wird.  
 MEV *P. II. dec. 81.* BRVNEMANN. *cent. 4. dec. 47.* STRVV.  
*Syntagm. iur. civil. ex. 29. f. 26.* BOEHMER. *in iur. eccles.*  
*Lib. 4. t. 3. f. 49.* BRÜCKNER. *decis. matrimon. cap. 2. n. 17.*  
 CYPRAEVS *de iur. connub. c. XI. f. 21.* COTHMANN. *Vol. I.*  
*resp. 10. § 78.* aliique plures. Außer diesem in gegenwärt-  
 igem Falle annoch dabey in Betrachtung zu ziehen, daß  
 E. B. und dessen Ehefrau den Hof qu. nicht nur annoch  
 besitzen, sondern auch nach Inhalt der Beylage sub C.  
 densel-



denselben an den Verstorbenen gleichsam unter der Bedingung verkauft, wann er die Klägerin heyrathen würde; gleichermaßen Beklagten keines weges zu statten kommt, wenn dieselbe vor sich angeführet, daß erst zu untersuchen, ob der Verstorbene Vater zu dem gebohlenen Kinde sey, wohlbemerket, daß vor selbiges so lange die Praesumption ist, bis das Gegentheil dargethan, auch das Kind sich noch zur Zeit nicht einzulassen schuldig, sondern des Edicti Carboniani bedienen kann, STRYK. in vs. modern. tit. ff. de Carbon. edict. §. 2. ebenermaßen weder der Klägerin, noch dem Kinde praeiudiciret, daß jene die Unzuchts Brüche bezahlen müssen, angesehen selbige nur wegen des anticipati concubitus solche erleget. Quam sententiam postea vt ex iisdem actis vidi, Iureconsulti Hallenses confirmarunt.

## §. XII.

Quae cum ita se habeant, res omnis eo redit, vt effectus matrimonii intuitu desponsatorum recte negentur, ex quo fluit, vt sponsae non debeatur, sponso ante matrimonii consummationem per benedictionem sacerdotalem defuncto, morgengaba, licet concubitus anticipatus fuerit CARPZOVIUS P. III. cap. 19. dec. 1. neque portio statutaria eidem attribuenda sit, quae tantum legitime coniugatis debetur, immo in genere omnia iura cessent, quae matrimonium rite consummatum sequi solent, quia vbi legitimum deficit matrimonium, nec vir, nec vxor, nec dos, nec matrimonium intelligitur §. 1. I. de nupt. Quod vero ad natum ex sponsa attinet, quem iure legitimorum natalium gaudere, probaui, ille omnino successionis capax est, nec parentum culpa ipsi nocet. Gaudet itaque iure filia.

filiationis, nomen atque insignia defuncti patris sibi vindicat, aliisque iuribus fruitur quae ex illo fluunt. Hoc unicum notandum est, cessare haec omnia, si forsan loci cuiusdam statutum nato ex sponsa obstaret, quo tamen deficiente, indistincte rationibus a me allatis standum est, quae pro eius favore militant.

### §. XIII.

Non dubito quin haec omnia, quae de iuribus natorum ex sponsa protuli, ad successionem feudalem applicari possint, ita, ut natus ex sponsa ab ista non sit excludendus. Opponere quidem solent dissentientes, locum II. F. 26. ff. *naturales*, sed minus recte, cum iste locus tantum de filiis naturalibus intelligendus est, pro quo natus ex sponsa haut censendum esse, ex his quae iam dicta sunt, fuit, vid. *VVLTEIVS de feud. Lib. II. cap. 9. num. 91.* qui tamen ipse concedit, sufficere vasallum in ipso mortis articulo sponsam uxorem duxisse, ad hoc ut ex ea natus ius in feudo succedendi adipiscatur. Sed hic quoque defunctus parens ritum benedictionis sacerdotalis nec contempsisse nec neglexisse dici potest, sed casu impeditus eum omisit, quod partui merito ad successionem conducere debet, vid. *STRVV. in S. I. F. cap. IX. th. III. num. 13.*

### §. XIV.

Quae de iure nati ex sponsa dixi, ita tamen accipienda sunt, ut tunc demum pro legitimo partu habendus sit, & iura liberorum legitimorum sibi vindicare possit, si a patre defuncto pro filio agnitus; vel ille sponsam a se


C

gravi-



gravidam esse confessus fuerit. Enimvero ex solis sponsalibus filiation non statim praesumitur, quia pater is esse dicitur, quem nuptiae demonstrant *L. 6. D. de his qui sui vel alien. iur. sunt*, immo sola nominatio, filium non facit sed praesumptionem tantum filiationis operatur. Sane patri postea confessionem reuocanti nullum praeiudicium hoc infert arg. *L. 1. §. 11. D. de agnosc. & alend. liber.* vbi VIPIANVS dicit: *si maritus uxore denunciante custodes miserit, nullum praeiudicium sibi faciat. Licebit igitur ei partum editum ex se negare, nec ei nocebit, quod ventrem custodierit.* Interim hoc in casu praesumptiones quoque, in defectu perfectae probationis, locum habent, quibus tamen recensendis vt longius immorer, instituti mei ratio non patitur, atque haec ad iura innocentium huius generis liberorum, quos incautorum parentum noxiam pati debere, durum esset, contra friuolos temere litigantium impetus, conseruanda ac defendenda, adduxisse sufficiant.

## T A N T V M.



II. AVG.


II.  
AVG. RVD. IES. BÜNEMANN  
IVRIS VTR. DOCTORIS  
OPVSCVLVM  
DE  
SPONSAE PARTV SPVRIO.



AVO. P. H. BÄRMANN  
VON DER BOCHER  
PHYSIKALISCHES  
INSTITUT  
STRAßBURG I. S. VARIO.







DISSERTATIO  
DE  
SPONSÆ PARTU SPURIO.

---

§. I.

VULGARIS DE NATO EX SPONSA OPINIO.



Ambienti mihi honores academicos, assertio brevis de sponsae partu spurio dissertatione digna visa est. Nam vulgaris apud nos non admitenda est opinio; *natum ex sponsa pro legitimo partu habendum esse.* Facilius hoc concederem, si coniecturis saltem iudicandum esset, num nuptiae sponsalia exceperint? maxime *c. 30. & 32. X. de Sponsalibus* motus; licet BARTOLVS, ipse spurius, aduersum teneat, conf. PALAEO-TVS *de nobis spuris que filiis cap. XIX. n. 7. p. m. 123. sqq. & Cap. XX. p. 127. sqq.* Nam quum, vt deinde demonstrabo, concubitum anticipatum stuprum esse, credam, hoc a me impetrare nequeo, vt praesumptionem stupri facile concipiam,



piam, sed magis existimem, si quem parentes legitime desponsatos habere constet, de quorum nuptiis dubitatur, praesumptioni delicti exclusivae & pro solemnitate locum omnino dandum, vel ideo etiam, quod in liberae mulieris coniunctione nuptiae in dubio praesumendae sint. vid. l. 24. ff. de Ritu nupt. nec ob pompam omissam aliamque nuptiarum celebritatem contra matrimonium praesumptioni locus dandus. vid. l. 22. Cod. de Nuptiis, adeoque asserentem stuprum illud probare debere. Neque obstat, quod nuptiarum solemnia adfirmans contra negantem probationibus instructus esse debeat, quum illic, quas modo allegavi, praesumptiones, pro eo stent, elidendae contrarii evidenti probatione. Deinde, etiam illud dubium non esse, crediderim, illos ipsos, qui ex desponsatis legitimos volunt esse natos, supponere sponsalia iusta legitimaque; unde nimis faciles sunt, qui hanc opinionem etiam ad clandestine furtimque desponsatos trahunt. Ceterum non is ego sum, qui elato supercilio errores pragmaticorum deridere, vel aliorum ante me observatis superbire velim; sed ante me viros, eosque non infimi subfellii, idem existimasse, fateor.

## § II.

### ORIGO ERRORIS.

Originem erroris huius vulgaris in perversa iuris canonici adplicatione positum esse, dubium non est. Nam iure canonico concubitu ex sponsalibus coniugium fieri statuant, adeo, ut vel clandestina sponsalia, quum tamen ius canonicum saltem de legitimis sponsalibus de praesenti agat, quae apud nos exulant. Porro etiam noviori iure doctrina ex Romanorum sancitis, de consensu matrimonium facientibus, INNOCENTII & CONCILII TRIDENTINI statutis adeo

adeo reiecta est, vt ex sponsalibus de futuro concubitu matrimonium effici nequeat; immo omne matrimonium, quod solemniter non contractum, nullum sit. Vid. BOEHMER ad c. 2. X. de clandest. desponsat. n. 14. & ad c. 31. X. de sponsal. n. 95. item *Iuris ecclesiastici Lib. IV. Tit. 1. f. 60. 64. 68. Tomi II. p. 112. seqq. (\*)*

§. III.

REFUTATIO RATIONIS 1) A BENEDICTIONIS ET CONSENSIONIS THALAMI SUPERFLVO REQUISITO.

Videamus iam rationes opinionis istius, & qui refutari possint. Prima ratio videri poterat, quod benedictionis sacerdotalis omissio facile veniam impetrare debeat, vid. COCCEII *iur. controuers. Lib. XXIII. tit. 2. qu. 2. p. 130. seqq.* ARNIS. *de iure connub. cap. 6. Sect. 12.* BECHMANN. *in exoter. exercit. de R. N. num. 27. sqq.* & consensio thalami, die Beschlagung der Decke, iuris quidem Germanici requisitum, etiam, quum mutuus consensus coniugium faciat, facile remitti possit. Sed, quum iam de iure naturali vel Romanorum quaestio non sit, nec nostrum sit indulgere contra leges, sed secundum eas iudicare, plane adfirmauerim, nuptias nullas esse, quae solemnibus legibus praescripto ritu, ad eoque cum benedictione sacerdotali, celebratae non sunt. vid.

(\*) Reprehendit TRIBONIANVM HOTOMANNVS *Lib. IV. Obseru. cap. 26.* quod nuptias non concubitum, sed consensum facere l. 30. ff. de Regul. iur. pro regula velit. Defendit eum ASANDE *Lib. I. tit. 1. def. 1.* sed, ni fallor, pessime. Forfan dici posset, TRIBONIANVM matrimonium saltem intellexisse, non nuptias ciuiles, vide scholion nostrum §. IV. Sed quidquid eius sit, & hoc pro sententia mea faceret, concubitu matrimonium vel nuptias non contrahi.



vid. IOANNES D'AVEZAN *de matrimonio* in *Tbesauvo* MEERMANNI *Cap. XIII. pag. 332. Tomo IV.* conf. SHELGWIG *de necessitate consecrationis nuptialis*, KORTHOLT *de necessitate consecrationis nuptialis*, HOFMANN *de benedictione coniugali*, MENCKEN *progr. de benedictione sacerdotali*, MÜLLER *de hierologia*. Hinc nec accedere possum cum CARPZOVIO *Lib. VI. Resp. 99. n. 14.* sponsalia pro matrimonio inchoato habentibus, adeoque concubitum anticipatum a stupri infamia purgantibus, de quibus §. IV. dicam. Aliter forsán rationes subducerem, si quis me de poena stupri huius remittenda rogaret, quum vero adeo non absimiles rationes AVCTORIS docti scripti sub nomine: CINES THOMASIANER vom *Benschlaf ehelich Verlobter*, concubitum anticipantes fere a peccato absoluant. Sed iam de stricto iure disputamus, nec aequitatis cuiusdam schemate seduci nos patimur, a sancitis legum iuriumque satis clare nuptias non solemnes, adeoque clandestinas pro inualidis declarantium. Hoc tamen perinde mihi videtur, quo tempore nuptiae solemnes subsequantur; etiamsi in articulo mortis nullaque conscensio thalami accedat, quod recte probat VOET *ad Pand. Lib. XXV. tit. 7. §. 11. p. m. 174.* COCCII *Iur. controu. Lib. I. tit. 6. qu. 11. p. 89.* HVNNIVS *Var. Resolut. Lib. I. Tract. 2. qu. 28. p. 205. seqq.* WVRMSERVS *Iur. controu. Lib. I. tit. 10. controu. 16. p. 157. sq.*

#### §. IV.

REFUTATIO 2) RATIONIS A NVPTIARVM FAVORE.

Alia ratio a matrimonii honore, de quo HILLIGER singulari opusculo disputavit, peti forsán poterat; nam dicere quis posset, inter solemniter desponsatos, secundum ius diuinum

num matrimonium (\*) iam esse, secundum vulgi falsam paroemiam: Sie sind vor Gott Eheleute. Quasi Deus non sit Deus ordinis. Inter desponsatos esse matrimonium inchoatum, quasi inde consequentiae filum duci possit, ad id, quod non nisi consummato matrimonio licet. Vid. HAVEMANN *Gamologiae Lib. II. tit. XI. pos. 4. n. 3. pr. p. 358. conf. CVIACIVS Operum Tom. VI. c. 1052. A. C. 1067. B. & C. & c. 1079. A.* Adeoque in honorem huius diuini vinculi partum pro nato in matrimonio habendum. Taceo tot leges, ubi sponsa pro vxore est, quas allegat VOET *ad ff. Lib. XXIII. tit. 1. §. 22. p. m. 13.* quae frustra vt priuilegia huc ducerentur. *conf. COLLEGIVM ARGENTORATENSE eod. §. 15. n. 3.* Vt iure Hebraeorum, immo canonico quandoque sponsa pro vxore sumitur, id obseruante inter alios CVIACIO *ad decretal. de sponsal. cap. 4. Operum Tomo VI. c. 1058. C. & tit. de eo, qui cognouit. Operum Tom. eod. p. 113. C. conf. IOANNES D'AVEZAN de sponsalibus Cap. 6. & 7. in Thesauro MEERMANNI Tom. IV. p. 323. & 324. STRYK. de iure sponsi D. V. l. 20. Cap. I. n. 8. & 9.* Sed haec etiam ratio facile refutari potest, quum apud nos mortales legitimus is demum censetur, qui secundum leges parentes habet; iam vero leges nostrae valde distinguunt inter sponsalia, vt pacta de ineundis nuptiis, & nuptias ipsas, vt coniunctionem ipsam solemnem, per illa promissam, adeoque sic differunt sponsalia a nuptiis, vt mutui promissio a mutuo vid. *l. 6. ff. de Verb.*

D

Obli.

(\*) Nuptiae esse nequeunt. Nam obseruat recte CVIACIVS nuptias demum dici, matrimonium secundum leges celebratum. *Conf. IOANNES D'AVEZAN de matrimonio Cap. I. apud MEERMANNVM Thesauri Tom. IV. p. 326.* Idem obseruat, forsan ex CVIACIO, HEINECCIUS *ad BRISSONIVM de Verborum signific. verbo: nuptiae §. 1. dictionarii p. 933.*



*Obbligat.* Fac, tibi me fundum promississe aequo pretio vendendum, te autem vi pacti fructus inuadere, fur sane fores, quum emtione celebrata traditioneque facta dominus eris & fructus tuos capies. Instas, sponsum credi coniugali adfectu in amplexus suos recepisse sponsam, sed tu quoque emtoris percipere volentis animo forsan fructus meos furatus es, nihilominus delictum manet, licet dolus aliquantum mitigetur. Non incongruum est exemplum, quandoquidem constat, veteres & coemtione matrimonium iniisse. Ante me ita comparauit *VITRIARIUS vniuers. ius ciuile de nupt. f. 5.* Tu forsan mones: iam iure Romano, ceu eleganter *CIRONIVS ad Lib. IV. decretal. Tit. I. Operam p. 310.* obseruat, sponsione sponsum dominum sponsae factum esse. Sed res salua est, nam ex nouiori iure disputamus. Immo, vt *IDEM* obseruat, nuptiis demum mancipatio & traditio fiebat. Nihil adinet, distingui inter sponsalia de praesenti & futuro, quum differentia inter sponsalia & nuptias ipsas nihilo subsistat minus. vid. *COCCEII Iur. controuers. Lib. XXIII. tit. 1. quaest. 1. p. 117.* *HAVEMANN Gamologiae Lib. I. tit. 1. pos. 4. sqq. p. 9. sqq.* *FRIESEN de vera sponsalium de praesenti & nuptiarum differentia,* *WILDVOGEL de differentia consensus sponsaliti & matrimonialis,* *BOEHMER de diuerso sponsaliorum & matrimonii iure,* *IDEM de sponsalibus de futuro & praesenti.* Immo sponsalia de praesenti matrimonium ipsum sunt iure veteri & canonico, vt sic sponsa vxor censeatur. vid. *ALBERICVS GENTILIS de nuptiis Lib. II. cap. 23.* & *COLLEG. ARGENTORAT. Lib. XXIII. Tit. 1. f. 6. ibique allegati.* Quae de coniugali adfectu concumbentium monent aduersarii, me haud mouent, nam, praeter illud, quod idem adfectus in concubinato sit, vid. *FRANCISCVS DEL MONZANO de concubitu MEERMAN-*

NI Tomo V. nihil inde confici posset, quam stuprantes matrimonium contrahere voluisse concubitu, quo animo se a solemnibus emancipare non poterant, nec coniugio, quod sine solemnibus nullum, vim tribuere. Nec curamus Doctorum opinionem, qua concubitu ex sponsalibus matrimonium fieri volunt, vid. BAYER *de concubitu matrimonii perfectione ante copulam sacerdotalem*. Vel sponsalia de futuro mutari in sponsalia de praesenti adeoque matrimonium, vid. VAN ESPEN *ad P. 2. decreti p. 144. col. 2.* Quum contra leges nostras sit; licet eo procedant, vt vel osculo de sponsatorum matrimonium contrahi velint. vid. TVSCH VOCE: *sponsalia conclus. 405. ibique allegati*, quod ridiculum. Frustra itaque illi allegant *c. is qui fidem 30. & adolescens 32. X. de sponsalibus*. conf. SANCHEZ *de matrimonio Lib. II. disp. 21.* & passim, GONZALEZ TELLEZ *ad lib. 4. decretal. tit. 17. cap. 1. comment. n. 11. p. 227.* Nam claram legem provincialem contrarium statuentem in der Verlobungs-Constitution habemus.

### §. V.

REFUTATIO RATIONIS 3) A PARTVS FAVORE.

Deinde vrgent rationem a partus fauore. Et negari nequit, iura in bene multis exemplis partui fauere, idque non sine aequitate. Sed illi, qui iura dant, liberam habent potestatem fauendi, cui velint, ex aequis rationibus. Nostrum autem non est fauere cuiquam, sed ad sancita legum adscripti sumus, & vagamur vltra limites, si plusquam leges concedimus. Praeterea leges partui, quoad concubitum prohibitum & illicitum, adeo non fauent; licet durum videri possit, partum peccata sui genitoris ferre debere. Sane quod si etiam hic partui fauendum, eadem ra-



tione omnes spurii legitimi esse debebant. Nam etiam hic omnes sine culpa sunt, quod crimini originem debeant. vid. *DARTIS opera canonica ad decret. P. I. dist. 56. ad c. 5. 6. 8. item 4. 9. 10. pag. 149.* & eundem fauorem merentur, quem e desponsatis nati: nam nati hi nihil ad sponsalia parentum possunt; adeoque non video, quare his plus indulgendum, quam aliis spuriiis & ex illicito concubitu progeneritis. Ad spurios omnino referantur, qui ex legitimo matrimonio nati non sunt, vid. *c. nisi cum pridem 10. X. de renunciat. conf. ENENCKEL de priuil. inter parent. & liber. prolegom. n. 99. & 100.* Sane matrimonium saltem legitimos reddit infantes, non sponsalia. Vid. *c. conquestus est 1. & canon. tanta est X. qui filii sint legitimi.* Aliud est in matrimonio putatio, de quo videatur *HERTIVS. Conf. PVFENDORF Tom. I. Obseru. 164. §. 3. p. 432.* & *GONZALEZ TELLEZ Commentarii, ad Lib. IV. Decretal. Tit. 17. cap. 2. num. 6.*

## §. VI.

### REFUTATIO 4) RATIONIS EX IVRIS CANONICI LOCIS.

Praeterea 4) cingendum pro cincto haberi volunt argumento *c. 1. & 2. & pass. Caus. 27. quaest. 2. & c. 12. X. qui fil. sunt legitimi. c. 2. X. de clandestin. desponsat. c. 3. X. de condit. apposit.* Sed illud saltem effici potest ex *c. 1. & 2. caus. XXVII. qu. 2.* coniugium consensu potissimum fieri & continuari, cui dicam scripsit *CYPRIANVS REGNERVS AB OOSTERGA in Censura Belgica ad c. 5. & sqq. ibid. c. 12. X. qui fil. sunt legitimi, ut ibidem GONZALEZ TELLEZ in Commentario n. 5. obseruat, supponitur probatio copulae sacerdotalis. Conf. eod. CYPRIANVS REGNERVS AB OOSTERGA.* Praeterea verba: *sive per verba de futuro carnali & c.*  
adno-





adnotante BOEHMERO *Corp. iur. canon. eod.* quidam non habent, ut interpolationis suspicio argumentum inde sumendum infringat. Confirmant me in hac suspicione, quae *collectiones antiquae* ab ANTONIO AVGVSTINO editae, *prima decretal. Lib. III. Tit. I. cap. 8. p. 95. Collectio secunda Lib. IV. Tit. I. cap. 2. p. 202. & Collectio tertia eod. cap. 1. p. 381.* habent. Nec decisio ad casum, ubi copula sacerdotalis probata fuerat, huc pertinet. *c. 2. X. de clandestin. desponsat.* de clandestino matrimonio agit, de quo hic nulla quaestio. Et belle BOEHMERVS hic *n. 14.* monet, distinguendum inter tempora. Olim more Romano solum consensum nuptias fecisse; sed tales furtivas nuptias INNOCENTIVM III. penitus inhibuisse, plenius vero CONCILIVM TRIDENTINVM. Conf. *IDEM ad c. 31. X. de sponsal. n. 95.* Immo ante illud concubinatus iure canonico licitus erat, vid. HVNNIVS *Var. Resol. Lib. 1. tract. 3. qu. 5. p. 133.* scimus quoque, olim papam mercedem pro licentia concubinarum sumsisse. (Narratur adhuc in patria mea Minda ad Visurgim, legatum papalem idem exegisse a veterano quodam canonico se primum aetate excusante, deinde iuuentutis castitatem allegante, ea ratione, quod facere tamen potuisset, si voluisset.) Denique ex *c. 3. X. de condit. apposit.* saltem adparet sponsalia conditione circumsepta, concubitu plane pura euadere. Vid. hic *c. 5. CYPRIANVS REGN. AB OOSTERGA, item BECHSTAD. de condit. sponsal. P. I. cap. 2. n. 7. p. 16. seq. & passim.* Quod hic nihil ad rem nostram facit. Conf. ANTONII AVGVSTINI *Collectioes antiquas. Primam decretal. Lib. III. tit. 5. cap. 4. p. 104. & Tertiam Lib. IV. tit. 4. cap. 1. pag. 383.* vide etiam CIRONIVM *in paratitl. ad Lib. IV. decretal. tit. 5. Operum p. 320. ALTESERRA ad Cap. 6. Lib. III. tit. 5. Decretalium INNOCENTII III. p. 512.*



## §. VII.

REFUTATIO RATIONI 7) A DOCTORVM CONCENTV.

Denique 5) Doctorum iuris concentu superbiunt. Et negari nequit, summos idem statuisse viros. Vid. RICHTER dec. 133. BRVNNEMANN *Iur. eccles. Lib. II. cap. 16.* item *Centur. IV. decis. 47.* BEYER ad SCHVLZIVM pag 537. seqq. SCHRADER *de caus. fori eccles. Tit. IX. §. 1. (B) pag. m. 210.* HARTMANNVS PISTOR. *Observ. LXXXIII.* MASCARD. *de probat. conclus. 1032.* SANDE *decis. Lib. II. Tit. I. def. 1.* CYPR. *de nupt. cap. 11. §. 21.* COCCEII *de his quae praepost. cap. 2. sect. 4. §. 6. de matrimon. moment. Sect. 1. §. 2.* COCCEII *Iur. controuersi Lib. XXIII. tit. 2. quaest. 2. pag. 130. sqq.* WESEMBEC. *ad ff. de R. N. num. 2.* ibique HAHN. *num. 7.* item BACHOV. *num. 2. verb. aut publica sunt, & tit. de his qui sui num. 3.* ibique BACHOV. & LYNCKER *in analect. ad eand. Exercit. pag. 21.* STRVV. *Exerc. XXIX. thes. 26.* ibique allegati, HVBER *Lib. II. digress. cap. 7. & cap. 9.* MÜLLER *de Hierologia Sect. 1. thes. 9.* KITZEL *in synopsi matrimon. cap. 5. theor. 10. lit. E.* PHILIPPI *us. pract. Instit. Lib. I. Eclog. 61 n. 3.* LVDOV. CHARONDAS *in memorabil. verbo: Enfants.* BÖCKELM. *ad ff. de R. N. num. 20.* MANTZEL *de ration. decid. a bened. sacerdot. Sect. II. §. 5.* ibique allegati. VVLTEIVS *Consil. Marpurg. Vol. III. Cons. 34.* STRYK *de success. ab intestato Disp. I. c. 2. tb. 49.* ENGELBRECHT *ad ff. de his qui sui, &c. §. 27.* ibique HAASE, HERTIVS *Tom. I. Resp. 209. & 456.* CARPZOV. *P. III. Const. 14. def. 12.* MEVIVS *ad ius Lubec. P. II. tit. 2. Artic. 9. n. 56.* item *P. II. decis. 81.* ibique allegati & ad eam ZAVN. SCHLIFFER *conf. dec. 82. & 83. & P. III. dec. 247. & P. IV. dec. 94. & 97.* HARPRECHT *de iure liberor. a desponsatis ante benedictionem sacerdotalem.* IDEM *de probatione filiationis ex concu-*

*concubitu conspons. & ab eo allegati.* Sed quum Doctores ius non faciant, quam etiam peruerse maiorum de prudentum Responsis voluntas explicetur adpliceturque, inprimis prouinciales nos monent leges, nihil doctoribus tribuendum, nisi rationibus iustis & aequis iuuentur. Iam vero sub examen reuocauimus rationes illas omnes, quibus opinionem suam fulciri existimant, & ni fallor, ita refutaui, vt nulla adhuc superstes sit. Adeoque in aliam opinionem tutiores eo transire possumus, quod eam etiam egregii defendunt Iurisconsulti, quos tamen non omnes, sed quosdam non infimi subsellii, ne longus sim, nomino: quum satius videatur ipsorum rationibus, quam auctoritatibus, contendere, vindicareque veritatem. Vide sis VÖETIVM ad ff. Lib. I. tit. 6. num. 10. p. m. 56. CYPRAEVM de iure connub. P. I. c. II. §. 21. n. 2. VNGEBAVER Exerc. Iust. IX. quaest. 3. n. 439. BROWER de iure connubior. Lib. II. cap. 25. num. vlt. STRAVCH ad Instit. XI. thes. 21. BESOLDVM Consil. Tubing. CCXLVII. num. 1. SCHILTER ad ff. Exercit. XXXVI. §. 60. ZIGLER ad Lancelot. iur. canon. Lib. II. tit. 10. num. 17. verbo: tolli non. De clandestinis sponsalibus desponsatorum prole illegitima dubium non est. Vid. CARPZOV. Iurisprud. Consist. Lib. II. def. 143. in f. & P. 3. constit. 13. def. 12. HARPRECHT ad Instit. de nupt. rubr. n. 121. HAHN ad MESEMBEC. Lib. I. Tit. 6. n. 3. MÜLLER ad STRVV. Exerc. III. tb. 43. (α) p. 117. BESOLD. decad. I. conf. 2. vers. Insonderheit.

## §. VIII.

ASSERTIO DE NATO SPONSAE SPVRIO.

Contra ea magis verum credidi iure communi, sub quo etiam ius canonicum & ecclesiasticum intelligo, non receptis iuris Romani sancitis, de matrimonio solo consensu  
contra.



contracto, concubitus inter desponsatos ante nuptiarum solemnium, eum non habere effectum, ut inde partus legitimus oriatur. Sed spurium esse partum, patrem legitimum non habere, patri non succedere, nec patrem ipsi, patri naturali iura patriae potestatis in illum non esse, stupri infamia & parentes & partum laborare. Quum quae contra leges acta, nulla & nullius effectus sint, ceu iam probavi, *Opusculi de codicillis indulti connubialis, §. XIX.* & DE BEVST *Obs. milit. P. III. cap. 6. Obs. CCXXXV. pag. 327. seqq. (\*)*. Quod ad ius prouinciale, ex CONSTITVTIONE IVLIA idem verum & extra dubitationis aleam positum esse, & secundum haec a iudice pronuntiandum. Quod si autem de dispensatione & de gratia quaestio esset, magis adhuc in natalium restitutione, de quibus hic non agimus, facilius haec supra veniam merentur, quam alia; eo tamen casu, ubi sponsalia iusta sunt, alias clandestina sponsalia scandalum augent, adeoque & iustam legum animaduersionem.

### §. IX.

#### ARGVMENTVM I) A PROHIBITIONE CONVEINATVS.

Dabimus iam assertionis nostrae argumenta. Primum est, quod omnis concubitus extra matrimonium prohibitus, & si cum coniunctione personarum fiat ad concubinitum prohibitum referendus sit. Iam vero clare prohibi-

(\*) Fere ad verbum opusculum meum inseruit DE BEVST *Observationibus suis militaribus P. III. cap. 6. a pag. 300. vsque ad p. 335.* pauculis quandoque additis, quibusdam vero omissis, & gaudeo Virum Illustrem meas ineptias, suis cogitationibus intertextis, dignas habuisse suo nomine; quod amicos meos ignorare nolui, quum DE BEVST me aliquoties quidem exci-tauerit, sed quantum mea ipsi debeant, non dixerit.

rum est REFORMATIONE POLITICA IMPERII & RECESSIBVS  
 de 1530. 1548. & 1577. Daß Personen außershalb von Gott  
 aufgesetzter Ehe zusammen wohnen, und wird es als eine  
 leichtfertige Beywohnung geachtet. vid. PUFFENDORF.  
*Tom. I. Obs. 89. p. 226.* Equidem litem illam de concubi-  
 natu vel concedendo, vel damnando, meam non facio,  
 sed lectores ablego ad scripta ea de re THOMASII, BREIT-  
 HAVPTII, STOLTZII, WINCKLERI, ANTONINI, PETRI EN-  
 CRATITAE, IAEGERI aliorumque. Plane mecum sentit LEY-  
 SER *de concubinato individuo medit. XVII. ad ff. specim. 585.*  
*Vol. IX. p. 211.* Et nemo negare poterit, his coniunctio-  
 nibus concubinatum introduci.

### §. X.

ARGUMENTVM 2) AB INVITATIONE AD STUBRA.

Quo maior est occasio ad peccandum, eo magis le-  
 gum sancitis obuiam eundum, & eo minus iura restrin-  
 da sunt. Hinc leuius, si dicere licet, agunt, qui contra-  
 rium asserendo ad supra fere inuitant. Nam si plane pro-  
 stibulum sit, quod veniam corporis pro mercede dat, af-  
 fectionis velum & coniugii speciosus praetextus a sollici-  
 tantibus pudicitiam obuertitur. Fragilis sexus facile ad  
 credendum inducitur; immo plane secura est mulier, quae  
 scit, hoc stupro se maritum & partum legitimum acquirere.  
 Maxime inter Venedos aliosque, qui sponsalibus celebratis  
 sponso & sponsae ante nuptiarum solemnia thalamum ape-  
 riunt, vt soli in eodem lecto concumbant, quod adhuc  
 fit, & in Consistoriis fertur. Leuior quaedam animaduer-  
 sio nubili remoram non faciet, vt dulce peccatum, quo se  
 felicitem reddat, admittat. Clandestinis sponsalibus &  
 matrimoniis non modo sic amplissimus campus aperietur;

E

sed



fed & quam facillimum erit nequiffimis ftupratoribus credulas mulierculas ad ftupra feducendi, quali breuiffima via ad optatiffimum coniugium. Illud autem vt iuftum & aequum habeam, quod delictis anſam praebet, a me impetrare nequeo; & omnis occaſio euitanda, qua ſcandalum dari poteſt. Aut abolendae leges, quae matrimoniis legitimos limites praefcribunt, & venia danda quorumuis conubiorum. An autem hoc e re publica fit, iudicent cordatiores. Tu forſan iſtas: 1) ORDINATIONEM PROVINCIALEM DE SPONSALIBVS die *Verlobungs-Conſtitution*, expreſſe ftupratoribus dolofis exceptiones adimere: ſie ſolle boßhaften Ehrenſchändern nicht zum Deckmantel dienen. Sed ut plurimum non vnus ftupratoris, ſed parentum aliorumque vtilitas illud non fert; & praeterea fatius eſt rem ſaluam ſeruare, quam prostituta pudicitia remedium quaerere. Deinde 2) praefumptionem iuris & de iure eſſe, ſponſum non animo ftuprandi, ſed promiſſum matrimonium conſummandi, rem habere cum ſponſa non niſi vxoratis licitam, nec contrarii probationem admitti, & proteſtationem vt facto contrariam habendam eſſe, *c. 15. X. de ſponſal. MENOCH. de praefumpt. III. praef. 1. num. 6. ſqq. COVARRVIAS de ſponſ. P. I. cap. 4. ſ. 1. ALB. GENTILIS de Nuptiis, Lib. I. cap. 17. FACHINAEVS Controuerſ. iur. ciuil. Lib. III. controu. 27. HILLIGER ad DONELLVM Lib. XIII. cap. 18. litera x. in nota. COLLEGIVM ARGENTORATENSE Lib. XXIII. Tit. I. ſ. 15. n. 2.* Sed quum §. II. & VI. a me obſeruatum ſit, iam non amplius nudo conſenſu nuptias contrahi, praefumptio haec nullius eſt effectus, quum nullae ſint nuptiae. Vid. *L. 5. Cod. de Legibus l. ult. Cod. de ſent. ex per. conf. LVDEWIG de ſupro ſub matrimonii ſpe.*

## §. XI.

ARGUMENTVM 3) A PROHIBITIONE LEGVM.

Sed etiam 3) leges assertioni nostrae adfistunt, nam *c. 1. caus. 30. qu. 5.* clare dispositum est, nisi omnia solemnia adeoque etiam benedictio sacerdotalis obseruata, concubium pro stupro fornicationeque habendum esse, quum itaque ex stupro legitimus partus existere nequeat, absurdum foret aliter statuere velle. *conf. c. 1. c. 30. qu. 5.* ad quem locum frigida est resolutio BERGERI *ad ff. resolat. tit. de R. N. quaest. 1.* Et quis si forsân dubitare vellet de iuris canonici auctoritate, licet in matrimonialibus locum habere dubio procul omnino positum sit, is probe considerare debet, idem sancitum esse lege Imperi ORD. POLIT. *de anno 1577. tit. 26.* In terris nostris CONSTITVTIO IVLIA, quae omnes sine legitimi sacerdotis copula, reiicit coniunctiones, vix vllum cuiquam relinquit dubium.

## §. XII.

ARGUMENTVM 4) A SVCCESIONE FEVDALI.

In feudis ex sponsa natos non admitti 4) argumentum praebet, nam II. *feud. 26. §. naturales* clare definitum est: *naturales, licet postea legitimi fiant, ad feudum non admitti.* Nec ad aliam opinionem ducor dissentientium argumentis, quae iuste confutauit TOPPIVS im *Unterricht von Lehn-Rechten §. LXII.* & BAVER *de successione legitimorum in feudis exule.* Etiam quod ad ius commune dubitari si posset, cessat tamen apud nos omnis dubitandi ratio, quum *der Sandersheimische Landtags-Abschied* & CONSTITVTIO IVLIA *anni 1601.* totidem verbis velit, neminem legitimum esse, nisi qui ex matrimonio a ministro ecclesiae iuncto na-



ius sit. Sic etiam pronunciauit summum Tribunal Celler-  
se. vid. PUFFENDORF. *Tom. I. Obs. 99. p. 227.* Illi sane nimis  
audaces, qui cum SCHURPEIO *Cent. 2. consil. 56. num. 1. sqq.*  
eiusmodi statutum non valere credunt, quos recte refuta-  
uit BRÜCKNER *decis. matrimon. Cap. XXIX. n. ii. p. 297. sq.*  
Ceterum eleganter quaeri hic poterat, num ex matrimo-  
nio coram magistratibus, vt in Belgio, celebrato natus, ad-  
mitti possit. Ego hunc admittendum quidem crederem, si  
nuptiae legitimae omnino sint secundum locum contractus,  
& lex nonnisi legitimas nuptias exigat, quales forent, licet  
apud nos aliter celebrentur.

### §. XIII.

#### ARGUMENTVM 5) A POENITENTIA ECCLESIASTICA.

Porro 5) nisi anticipatus concubitus cum sponsa stu-  
prum esset, & illegitimus concubitus, poenitentiae eccle-  
siasticae correctione vindicari haud posset. Iam vero con-  
stat praxi, & ipsi etiam, qui contrarium adserunt, non ne-  
gant, concubitum ante nuptiarum solemniam etiam ecclesia-  
stica poenitentia coerceri. HAVEMANN *Gamalogiae Lib. 2.*  
*tit. ii. pos. 3. n. 3. inf. p. 358.* & *Lib. IV. tit. 6. qu. 10. p. m. 571.*  
ibique allegati, item HERTIVS *Tom. I. Resp. 209. in f.* sic  
etiam apud nos obseruari nouimus, idque iuste secundum  
CONSTITVTIONIS IVLIAE *anni 1601.* mentem, qua omnis con-  
cubitus coercetur: mit einer Person, welche dem Manne,  
vt verba legis habent, nicht öffentlich durch einen Priester  
der Gemeine Gottes (\*) gegeben worden; vt mirum sit,  
&

(\*) Iam olim idem fere iuris fuisse intelligimus ex DAMASCIO  
*in vita Isidori philosophi apud Phorium.* *ὅτι ἦν δὲ γνήσιος ὁ*  
*γάμος*



& apud nos quosdam aliter velle. Ceterum ideo non laudo poenitentiae ecclesiasticae usum, incommodi immo periculi plenum. Conf. BODEN *de abusu poenitentiae ecclesiasticae*. WILDVOGEL *de deprecatione publica ecclesiastica*. KNORREN *de poenitentia ecclesiastica*, & praecipue MENTZERI *diff. num sponsis ante copulationem concumbentibus publica poenitentia recte imponatur*.

#### §. XIV.

ARGUMENTVM 6) A MVLCIA.

Illud 6) nouum argumentum efficit, quod multa die Huren-Brüche ob praematurum concubitum soluatur, ad eoque iste concubitus, vt aliud stuprum puniatur, quod praxi ita obseruatur apud nos. Nec obstat, quod Giesfenses, interprete HERTIO, *Tom. I. Resp. 109.* contra status Schaumburgicos aliter pronunciauerint. Facilis enim est responsio ad rationes: 1) est, quod sponsalia sint matrimonium inchoatum; sed quam fallat haec ratio, dixi §. III. 2) ratio est, quod stupratores ab opificiis non excludantur; sed ad hanc petitionem principii respondebo §. XV. 3) ratio est secundum *Lib. II. Cod. de natural. liber. & Nouell. LXXXIX. cap. 9.* licet primo aut secundo mense natos, tamen legitimos censerent, sed hi iure communi per nuptias demum legitimantur, quo non indigerent, si legitimi essent sine nuptiis, quod argumento est contra HERTIVM, Quae de ad sensu Doctorum & praxeos addit, refutauit iam

E 3

supra

γάμος ἐστὶ μὴ ὁ ἱερεὺς ὁ τῶ Θεῷ ἐν τοῖς γαμικοῖς συμβολαίοις ὑπεσημῆσατο χεὶρὶ τῆ ἑαυτοῦ. Non erat autem legitimum coniugium, nisi sacerdos nuptialia pacta subnotasset manu sua. Apud nos legis est, vt sacerdos sponsalibus rusticorum extrajudicialibus interesse debeat.



supra §. VII. & elidam §. XVI. 4) ratio est: quod eiusmodi concubitus mitius puniatur. Sed hoc si concederem, tamen poenae locus est, adeoque & hoc argumentum magis facit contra HERTII sententiam, quam pro illa. Ceterum nec obstat, quod aliquando improbatum sit apud nos statutum braxatorum Eldagsensium, licet obseruantiam eiusdem non interruptam per plurimum tempus allegarent, quo puniunt eiusmodi concubitus, de quo alibi egi; nam ratio fuit, quod statutum solemnibus destitueretur, & praeterea contra omnem rationem & in eos animaduerneret, quorum infantes vel aliquot hebdomades saltem nimis maturi sunt, quum etiam ipsi medici vix aliquid certi de iusto partus tempore definire possint.

### §. XV.

#### ARGVMENTVM 7) A REIECTIONE A COLLEGIIS OPIFICVM.

Denique 7) scimus, opifices non admittere, qui stupri infamia laborant, adeoque & eos reiicere, qui concubitu ante nuptias inquinati sunt. Non ignoro, dissentire hic cum aliis MEVIUM P. III. dec. 39. Ratio 1) est, nimis grauem & iniquam videri poenam, si quis ideo ab opificio excluderetur, quod infamiae quaedam species & a victus facultate remotio non minus grauis, quam si homo enecetur. arg. l. 4. ff. de agnosc. & alend. liber. Sed vero si statuto ita definita lex, licet dura, scripta tamen, iudexque secundum illam pronunciare debet, vbi collegiis opificum ius mulctandi vel alias coercendi est. vid. EN-GAV iur. German. Lib. I. tit. 9. m. 1. de colleg. opif. §. 211. ibique RICCIUS n. 2. & §. 213. ibique RICCIUS num. 4. Eodem iure adulter, qui alicubi leuiori mulcta punitur, vbi



vbi gladius vltor statutus, absolui posset a capitis poena, quod nemo dixerit. Nec video, quidni exclusus alio modo victum quaerere possit. Immo haec ratio Principi dispensandi occasionem daret; taceo eum ruri posse victum opificio quaerere. Infamiam meretur stuprum. Sane haec ratio magis valeret, si de iure constituendo quaestio, vel vt argumentum gratiae non iuris. Ratio 2) est, quod ab alio vitiata ducere possit, & opificii ideo incapax non sit. conf. BRUNNEMANN. *ad l. f. ff. de colleg.* STRVV. *Exerc. VII. tb. 21.* Sed de hoc dubito, nam opificia, vbi eiusmodi statuta valent, non nisi immunes ab omni macula ferunt; vxores vero opificum etiam, vt receptionem suam impetrent, a collegiis cogi: *Dasß sie auch das Amt gewinnen müssen*, scimus. conf. BERLICH. *decis. 298.* Praeterea hic vere opifex ipse non peccauit. Immo magis verum est, & opifices excludi, qui vitiatas ab aliis ducunt. Nec valet consequentia a casu ad casum. Ratio 3) est, matrimonium longe maiora vitia purgare, adeoque facile eius honori condonandum, ne infamis & inops fiat, qui sponsam nimium amauit. Sed qui haec consequentia efficiatur, non video, nec magnum credo amorem, quo amatam stupri infamia adficimus. Potius verum videtur, iudicem, dum legibus obedire &, quid iuris, statuere debet, ad haec gratiae argumenta respicere non posse. Facillime etiam sic excusares nimio amore similibusque rationibus, quas summo MEVIO Iurisconsultissimo minime dignas credo, omnia delicta carnis. Leges ideo datae sunt, vt nimias passiones coerceant, & aliquantulum audacior mihi videtur excusatio ab eo vitio, quod leges seuera coercitione radicatus vt euellant, satagunt. Quod reliquum est, spurii ad opificia non admittuntur, nisi legitimatedi sint, vnde apud  
nos



nos generali natalium restitutione ipsis consultum est.  
 Conf. RICCIUS ad ENGAVIVM l. cit. §. 217. verbis: *deberent  
 admitti.*

### §. XVI.

#### DE VSV FORI.

Vsum forensem contra me esse, fateor, & facile adse-  
 clas inuenire, quod aliquid aequitatis prae se ferat; sed ve-  
 reor, vt nimia aequitate iniusti simus & delictis viam ape-  
 riamus. Praeterea vsus erroneus & rationibus iustis desti-  
 titus, nihil apud nos legibus adstrictos efficere debet; &  
 corrigendus potius est, quam probandus. Apud nos etiam  
 vsus forensis & maiorum in pronunciando obseruantia tan-  
 tam vim non habet, vt ideo, quod iniustum est, statuamus.  
 Ceterum quum Iurisconsulti in eo conueniant omnes, quod  
 ante nuptias e desponsatis nati, nuptiis legitimentur: non  
 intelligo, qui hoc verum esse possit, si e sponfis  
 progeniti legitimi iam sunt.



MA





Me 3324


S







*Pl. 27: num. 18. 2. 2. 39*



RIS


NATIS

LA DVO

TATEM  
I EXCVSA.



*He 3324*



EBVRGICAE,  
NI HENDELII VIDVAM  
XVI.



(5)

